



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Historia Provinciæ Paraquariæ Societatis Jesv**

**Techo, Nicolas**

**Leodii, MDCLXXIII.**

Cap. 11. Ad Paranam res gestæ narrantur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38528**

mansuros. Quamquam id affectuosè magis exoptabant, quām quōd sedem in eo terrarum loco ponī posse sperarent: satis namque apparebat eas terrae cœlique alpe ritates cuivis externo homini fore intolerabiles. Igitur cū in tot scopulos distracta gens esset, ut nec ad doctrinam audiendam coire, nec ab doctotoribus adiri posset, tatis habuere Socii, si negotio eorum Divino Numini commendato, adventantes subinde ad Chiloëensem sedem Chunos, Huilosque omni ope juvarent. In schedis tamen memorialibus reperio, Chiloëenses Socios aliàs etiam ad easdem insulas re navigasse: ut scias Apostolicorum hominum desideria, nisi aditis Mundi finibus, terminari non posse.

**A**D Paranam, superiori anno, Itapuanos Jaguapuanosque Neophyti, fame dispalatos, incredibili labore Rochus Gonsalvius & Franciscus à Valle ad opida reduxerant, cùmlues, ex immundarum rerum esu & corrupto aëre orta, plerosque cum ipso Francisco à Valle prostravit: tum demum omne onus utriusque oppidi in unum Rochum incubuit, indubie granditati laborum succubiturum, nisi ingentibus animi corporisque viribus praeditus fuisset. Tantis laboribus accessit perversitas magorum, spargentium in vulgo Baptismo corpora mactari. Reperta mulier est, quæ filium ex rabie iteratis aquarum infusionibus obrueret, quò baptis mi aquas tanquam perniciosa labem eluendo emacularet. Altera mulier, ne infantem suum baptismo, ut aiebat, perditum iret, in Rochum ingentem fustem contorsit, indubie percussura, nī iectus in vanum abiisset. Barbarus homo cādem de causā in eumdem ferociter involavit, prostravissetque grandi vulnere inficto, nī vetula impetum retardasset. Ethnici pēnē omnes, tanquam phrænetici, medicum suum & unicum animæ remedium oderant, ab domorum suatum ingressu magno conamine arcentes, & ne vi ipse irrumperet, ad sylvas & obvia latibula se suosqua infantes recipientes. Non desistebat tamen ab opere Apostolico Gonsalvius, & more parentum, filios phræneticos se laniare volentes, non deserentium, spretis vita periculis, quā datā portā se ingerens, dicendi vi baptismi utilitatem afferere contendebat. Circubat ipse solus oppidum, ad prædia cursitabat, fugitorum receptacula, tum per se, tum per Neophytorum fidelissimos excutiebat; mirabili celeritate ad Jaguapuanos eadem præstiturus excurrebat; tanto successu, ut omnes moribundi ( si viginti adulæ aetatis homines contra baptismum animum obstinantes excipias ) expiati obierint. At ubi Franciscus à Valle convaluit, ipse Rochus, secundo flumine navigans, omnia lirta ac insulas Paranæ per sexaginta leucas excutiens, pluribus mortalibus luc afflatis salutares aquas infudit. Eadem vis mali, aduersi fluminis Ethnicos corripiens, stragem corporum fecit: demessis præsertim Ariolorum Magorumque Religioni infestorum capitibus: dices amotis obstaculis ferocissimos quoisque Barbarorum à peste demessos fuisse, ut via planior ( sicuti videbitus ) Evangelio sterneretur. Ad eos juvandos excurri non potuit ob Sociorum penuriam: unicus tantum ex tanto numero repertus fuit, qui æternæ mortis metu, deficiente navigio, ubi se peste tactum sensit, ligno inequitansecundo flumine se labi sivit, donec in ea parte sisteretur, unde ab Itapuanis cerni posset, à quibus ad ripam extractus, & ad oppidum deductus, Baptismo a Gonsalvio impetrato, non diu post, ut spes est, ad gloriam evolavit. Adulto jam anno Thomas Urvenia, Petrus Bosqueitus, & Petrus Romerus, Sacerdotes, in subsidium Paranensium venere. Petrus verò Oniatus Provincialis adverso Paranam navigans, nova oppida pro munere primum inspexit; & è Paranensium Sociorum consilio decrevit, sedem Societatis poneādam esse in Jaguapano oppido, & Urvai censem Provinciam, haec tenus intactam, quovis sperto periculo, adeundam esse. Secundum hæc, Socios in hunc modum dispersit: Itapuanu oppido Didacum Boroam Sociis Paranensibus & Urvai censibus moderaturum, & Petrum Bosquierum Flandro-belgam, Ignatianu Claudium Ruierum Burgundum & Franciscum à Valle Bœticum, Jaguapano Petrum Romerum Hispalensem, & Thomam Urveniam Cantabrum; Urvaiensi verò expeditioni Rochum Gonsalvium, unicum multis parem, præfecit. Regresso Provinciali, Petri Romeri primus labor fuit, cum

## CAPUT

XI.  
Ad Paranam  
res geltæ  
narrantur.

Mulier bap-  
tizatum filium  
aquis  
obruit.

Rochi Con-  
sulii peri-  
cula.

Laboris.

Ariolorum  
mortes.

Socii per Pa-  
ranam di-  
sparsit.

Interior Pa-  
ranæ pars  
excurritur.

Rocho Gonsalvio, ad Urvacensem Provinciam destinato, littorales Paranae pagos invisere, tum ut commendatione veteris magistri apud eos inclaresceret; tum vel maximè ut notitiam populorum Christo aggregandorum coram caperet. Quibus feliciter peractis, fausta omnia sibi invicem precati, post emissam uterque trium votorum publicam professionem, Rochus in Urvacensem Provinciam, Romerus Jaguapuanum versus iter arripiunt.

CAPUT  
XII.  
Jaguapua  
fede Socie-  
tatis occu-  
patur.

Maraca-  
naenses re-  
ducuntur.

Palustres ho-  
mines ad fi-  
dem sollici-  
tantur.

Resistit Ape-  
rita.

Paranenses  
Insulani con-  
vertuntur.

Socii mech-  
anica tractat.

JAGUAPUA, oppidi designatio potius, quam oppidum, quadringenta non amplius capita, reliquis peste sublati, numerabat. Carterum spes erat futurum, ut incresceret reducitis ex vicinis remotisque locis quamplurimis mortalibus, Paranae insulas ac littora sparsim incolentibus. Postquam ergo Jaguapanis, qui fermè omnes Ethnici erant, Socii persuasere, ut, pellicibus & falsis religionibus relictis, ad Fidem Christianam se inclinarent, eorum plerosque salutaribus undis abluerunt: atque ut commodiùs Sacris nostris adessent, Aedem multitudinis capacem erexere. Compositisque utcumque ad urbanitatem Barbarorum animis, Petrus Romerus, Thomâ Urveniâ ad sarcinas relicto, ad vicinos remotosque populos Christo lucrandos animum advertit. Non procul ab novello oppido Maracanais, Barbarorum pagus non infrequens, aberat: quorum nonnulli aliquot, Sociorum suasu, Jaguapanis se aggregaverant: reliqui in impietate persistebant. Horum non pauci ab nescio quo transfuga dementati, majoris libertatis spe, secundo flumine longissimi transfugent: quos, spretis periculis, statim sequutus Römerus, autoritate è fuga retractos, confectis centum circiter leucis, Jaguapanis & Christi partibus feliciter adjunxit. Ab ea expeditione redux, Maracanaim repetens, adeò acriter in rem suam intendit, ut plerisque antea in impietate pertinacibus se sequi suaserit. Repugnabant ducenta circiter Erthnicorum capita, qui ut se impervios facerent, paludosis locis abruptisque faxis abdiderant, quos per paludes umbilico tenuis aquis immersus, & per abrupta rependo, facer venator indagans, tandem omnes beneficiendi arte pellexit, ut Religionis ergo Jaguapuanum se conferrent. Destructo penitus pago, non eo procul ad Paranae contiguam paludem se convertit. Narrabant indigenæ sub primum Hispanorum adventum hujus paludis littora scaturisse innumeris Indis, sed plerisque partim insalubritate crassi aëris absumptris, ad paucitatem redacti erant: eò declatus Romerus spopondit superstitionibus, si se sequi vellent, magnas animarum corporumque utilitates percepturos, & manifestis Dei ubique præsentis benefiциis in hac mortali vita potituros. Cui Aperera, hujus paludis Casiquius, jocanti quam serioso similius: *Si, inquit, Deus ubique præsens est, hic aequæ ac alibi nobis aderit, ut haec tenus adfuit vita commoda liberaliter largiendo.* Cumque subintulisset Romerus multa de necessitate doctrina, & de bonorum malorumque finibus, cädem à Barbaro verborum futilitate illusus, irrito incepto regreditur: hoc uno latus, quod semen verbi Divini jecisset, fructum in tempore suo daturum. Nec spes rei fecelli eventus, aliâ occasione omnibus hujus paludis accolis per Paranenses Socios ad partes Christi feliciter translatis. In medio Paranae insula jacet, circuitu octodecim leucas complectens: ea in alta promontoria, rupibus praecelsis cincta, aslurgit, undique inaccessa, nisi quâ per frequentes periculososque aquarum vortices paulatim fese demittit: olim Paranensium contra vim Hispanorum receptaculum munimentaque fuisse perhibebatur, unde ejus accolæ, præter innatam indolis ferociam, bellicos animos adhuc conservabant. Eò etiam Romerus, contempto discrime, cimbulâ vectus iter arripiuit. In decursu aquarum vortice interceptus, vix latum unguem ab naufragio, ope Principum Apostolorum ab eo invocatorum evitato, abfuit. Ad insulam appulsus, Arariae Casiquio & centum capitibus persuasit, ut se, Religionis Christianæ capessendæ ergo, Jaguapanis adjungerent. Denique eventilatis Paranae littoralibus latebris, aucto jam oppido, ipse & socius ad urbanitatē novis hominibus imponēdam animum adiecere. Quod ut præstarēt, ab nullo opificio quantumvis vili abhorrebat: textoriam, fabrilem, rusticam artem instituentes. Sed animarum cura lôgè major erat, quâ factū, ut reducti omnes Ethnici egregiè instructi, variis temporibus ad sacrum fontē accesserint: nec defuit patientiæ materia. Nescio quis Neophytus,

supinâ